

1497 etis non suis modo, sed ejus etiam loci copiis equitatus & peditatus, quas Antonius Centilius, cuius erat in potestate castellum, ut ei præsidio essent, ad illum statim miserat, in eos impetum fecit. Veneti cum sex horas continenter pugnavissent, imperfectis compluribus, vulneratis octoginta, Cantabroque ipso, omnes in fugam congererunt. fugientes loci castellum recipiens texit. Turri deinde expugnata, quique in ea erant propugnatoribus novem reste suspensis, castellum capere sunt aggressi. Biduo in ea oppugnatione consumpto, cum acerrime castellum defenderetur, murorum parte dejecta, vastato agro, tormentis hostium abductis, uno suorum tantummodo amissis, vulneratis per paucis, piratæ classem incenderunt, ad naveisque redierunt.

Superiori vero æstate Joannes Corvinus, Mathiæ regis Pannoniæ filius, per suum legatum Senatui significavit, cupere se se perpetuo amoris & benivolentiæ vinculo cum republica conjungi: itaque petere ut in civitatem & jus comitiorum reciperetur. quamobrem majoribus in comitiis civitas, & jus comitiorum ei datum. Armenii quoque, qui Venetas venerant, tabellas testamentarias, Ziani Principis tempore ab homine Armenio confectas, ædis Marciæ procuratoribus ostenderunt: quibus tabellis dominum in urbe demortui pecunia emere procuratores jubebantur, quam quidem domum Armenii ad urbem venientes incolerent: eamque postea domum cum facello emptam ad Juliani fuisse in laternarum via, quæ tunc a procuratoribus locetur: itaque illam ipsam domum sibi restitu ex testamento petierunt. A procuratoribus intellecta eorum postulatione domus est Armeniis restituta, atque ab iis incoli cœpta. Ipsi a civitate comiter & liberally accepted, gens tam longinqua, urbi amico spectaculo fuerunt. Vere autem in sequentis anni jam medio, Ludovicus regni ac dominationis ingenio & natura cupidissimus, ejusque rei magnopere impatiens, quod videbat Pisarum civitatem multo reipublicæ amiciorem esse, magisque tribuere, quam illius vel benivolentiæ, vel fidei, Lucam

*Armenio-  
rum domus  
cum facello  
Venetiis  
condita.*

1498  
*Ludovicus  
Sforzia Lu-  
censibus in-  
ficiatur.*